

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Aliqvot // [Aliquot] Epistolæ Reverendi // Patris Piæ
Memoriæ D. // Martini Lutheri quibusdam Theologis // ad
Augustana comitia Anno 1530 scri//ptæ**

Luther, Martin

[S.I.], 1549

VD16 L 3724

Doct. Mart. Luth. Iusto Ionae.

urn:nbn:de:bsz:31-61767

extra pacem trudit. Wir sollen Menschen
vnd nicht Gott sein/das ist die summa/
Es wirdt doch nicht anders / odder ist
ewige vnruhe vnd herzenleid vnser
lohn. Vale in Christo. Ultimo lunij.

DOCT. MART. LUTH. Iusto Iona.

Gratiam & pacem in Christo. Ego quidem
hic mi Iona, sedeo pro uobis cogitans, & so-
licite suspirans, causam nostram processisse
iamdudum ad Epitasin, sperans simul ad catastro-
phen meliorem spectare, Modo ne deficiant animi Nota.
nostrri, quo illi magis superbiant. Credo enim sic
eos opinari fortiter, uos fratres omnia cessuros es-
se, modo illi per Cæsarem quid iusserint aut pro-
posuerint. Cæsarem enim ipsum nihil agere, sed
ferri & agitari, quis non uidet. Quod si fortes
steteritis nihil cedendo, cogetis eos alia cogitare.
Urgeamus & hoc ut restituant nobis Leonhard
dum Reyser & alios iniquissime occisos, restitu-
tuant tot animas impia doctrina perditas, restitu-
ant tot facultates fallacibus indulgentijs & alijs
fraudibus exhaustas, restituant gloriam DEI tot
blasphemij uiolatam, restituant puritatem Eccle-
siasticam in personis & moribus tam fœde-

15.

C 2 confurca

Iam melius
or ordo
concilia,
in uentus
est, pri-
mum ri-
tus anti-
christiac-
cipimus
postea
doctrinā
abijcie-
mus.

confurcatam, & quis omnia enumeraret? Tum
agamus & nos de possessorio. Tamen mire pla-
cuit, Sic eos diuino nutu insanire cœpisse ut hoc ar-
gumentum non pudeat eos proferre. Is qui sic eos
exercet & confundit ut ista turpia et absurdia pro-
pulchris & firmis habeant, perget magis. Sunt
hæc auspicia & initia manus diuinae nobis opitula-
ri uolentis, sic me solor.

Sed iam dudum alia habetis consilia & hac
iam uetera sunt. Ipse Dominus Iesus salus & uita
nostra, amor & fiducia nostra sit uobis, sicut
spero. Amen. Ex Eremo Anno. 1530. die Mar-
garethæ.

Ex his R. P. D. Martini Lutheri, piæ mem-
oriæ Epistolis facile potes intelligere: pie le-
ctor: quæ fuerit eius sententia de ipsis Christi cum
Belial conciliationibus, ut execreris & ipsas concili-
ationes & earum authores, qui cæteris peccatis
etiam hoc accumulant, ut ausint ipsius Sancti pa-
tris Marti. Luth. scriptis istas Christianæ religionis
corruptelas tueri. Sed de hac tota re fortassis aliâs
prolixius, iam tantum de unico articulo dicam.

Aiunt quidam pacificatores (multi enim sunt
et uarij) Christi et Belial, Seu potius Ecclesiæ Chri-
sti turbatores Doctorem Martinum concessisse ex-
tremam unctionem in sua confessione. Anno domi-
ni. 1535. edita. Quod an uerum sit tuipse iudica,
primum

primum dicit si unctio in usum adhiberetur, sicuti
Apostoli adhibuerunt, se facile eam paſsurum. Re-
cte id. Apostoli & alij uiri sancti in primitua Ec-
clesia, qui habuerunt dona sanationum imunxerunt
ægrotantes & orarunt super eos, & ita eos sana-
runt, quod ex Marci. 6. & Iacobi 5. appareret. Iam
vero papistæ & interimistæ cum non habeant dona
sanationum (excepto Islebio, qui dixit, quod si
unctio restitueretur, etiam dona sanationum resti-
tuentur, seq; iam ex quo Augusta reuersus sit qua-
tuor ex morte in uitam reuocasse) faciunt ex un-
ctione sacramentum, ac præter alias impietates di-
cunt prodeſſe ad æternam uitam, quod D. Marti-
nus expreſſe ibidem improbat.

Deinde declarat similitudine, quomodo un-
ctio haberi posset, ita nempe, Sicuti si pro Missis
mortuorum pia concio de æterna uita & resurre-
ctione substitueretur, id est, pium ac plane diuer-
sum opus pro illo impio. Qui igitur impiam pa-
pistarum actionem in piam transformat, ille papi-
sticam unctionem meo iudicio nō concedit. Postrea-
mo ipſe declarat qualē actionem pro papistica
unctione substitui posse dicat, possunt, inquit, con-
uenire pij homines ad ægrotum & pro ipso orare,
ac etiam insuper, si libet, eum ungere. Recte sane
possunt & alia medicamina exhibere. Atq; utinam
id fieret, ut, cum uel unctiones, uel potiones, uel alia

medicamina exhibentur, simul etiam oratio adhuc
beretur. Verum plurimum interest inter id quod
fieri potest, et quod in religionem uertitur. Pos-
sunt enim (ut dictum est) etiam alia medicamina
eodem modo cum oratione exhiberi, sed nefas fue-
rit dicere esse sacramenta, aut quoquo modo ad re-
ligionem pertinere. Sed quia in confessione breui-
ter tantum attingit rem, quare uide in captiuitate
Babilonica prolixius. Hinc igitur apparet malos
homines sycophantice D. Martini testimonio ab-
uti, qui quam fuerit infensus conciliationibus istis
et papisticis abominationibus, cum istae Epistole,
tum uero etiam tota eius uita et doctrina testan-
tur. Qui si iam uiueret n̄ ille Paulo durius istos
pacificatores exciperet, quia nunc longe plus pec-
cant quam tunc. Sed quid multis? Unicum illud
satis est contra istos religionis depravatores, quod
ad D. Martini autoritatem attinet, quod nullam
penitus mentionem conciliationis audire uoluit,
nisi prius papiste diserte totam doctrinam conce-
derent et suos errores damnarent. Nam iam cum
papiste furenter nostram doctrinam damnent ea
rum ceremonias accipere quid aliud est, quam eo-
rum impietati subscribere? Dominus Iesus custo-
diat suos, ne se Babilonici scorti immundicie
polluant. Amen. Ora pro me
pie Lector.

Epistola

Non ita
Philippi-
saret
Sic &
Cφss.

